

BIBLIO
THECA
INCEND














THOMÆ BARTHOLINI
DE
BIBLIOTHECÆ INCENDIO
Dissertatio
Ad FILIOS.



HAFNIÆ,
Typis MATTHIÆ GODICCHENII,
Sumptibus PETRI HAUBOLD, Acad. Bibl.
ANNO clↄ Iↄc LXX.



TH. BARTHOLINUS
Ad Filios
CASPAR. BARTHOLINUM, CHRISTOPHORUM BARTHOLINUM, THOMAM BARTHOLINUM.

Videtis qva constantia flammas meliorem Bibliothecæ partem devastantes nuper exceperim, optimum existimans ea pati qvæ emendare non potui, & Deum, qvo au-

tore cuncta proveniunt, ſine murmuratione comitari. Vobis, filii, idem ſolatium erit, qvi in damni ejusdem conſortium veniſtis. Prærepta qvidem vobis benè agendi occaſio videtur opuſculis qvibusdam meis in cinerem converſis, qvæ vobis commendaveram veſtro ſtudio perficienda & ad lucem publicam proferenda ſi me ante vota mors præoccupaſſet. Interea tamen Vo-

bis

bis ad meliorem frugem
ſurgentibus campus nun-
qvam deerit in qvo vos
cum gloria exerceatis.
Præclara benè de publico
merendi fomenta virtus
propria & ingenium ſug-
geret, qvod eo fervore per-
ficere vobis ſtatutum gau-
deo, qvo hactenus Deo for-
tunante cœpiſtis. Hinc ſa-
tis nobis ſolatii ſupererit
contra qvoscunq; fortunæ
inſultus, qvos eo animo fe-
remus qvaſi ſupra Lunam
habi-

habitaremus, h. e. ſemper ſereno. Valete & fratribus natu minoribus Johanni & Alberto diligentiæ veſtræ exemplo feliciter porrò præite. Ex Tuſculano meo Hageſted Calend. Jul. cIↄ Iↄ c LXX.

TH.



Th. Bartholini De Incendio Bibliothecæ.

NOcuit ſic eſſe pium. Nam dum totum me pietas in defunctum præceptorem, beatum Mothium occuparet, triſte nuntium interpellat, incendio conflagraſſe ædes meas Hageſtedanas, unaq; cum ſuppellectile reliqva Bibliothecam ex ſelectioribus Medicis & Philologis collectam, qvæ ad uſum qvotidianum ſolitudinis mecum in ocio

cohabitaverat. Privatus præceptore & libris, ex utriusqve jacturâ de fortuna ſententiam cœpi ferre, qvam animi infracti conſtantia divellit. Non enim me movit vel tantillum inſperatus caſus, qvi tentavit animum, neutiqvam oppreſſit. Fateor dolendi plures fuiſſe cauſas, turbata qviete Tuſculani mei incendio, cujus loci tanta amœnitas ut major alibi in Borea eſſe vix qveat. Mari vicino hinc inde alluitur, aëris bonitate in ſublimi perflatus, ſylvis tribus inumbratus, agris fertilis, campis florens, terra ubiqve innoxia, qvæ, nec ſerpentes ferre, nec glires poteſt. Amplæ colonorum villæ, ædes ſplendidæ, conceſſæ

immu-

immunitates, cælum ſerenum, & cætera ex voto fluentia, amorem prædii auxerant: Cæterum communi fato mœrorem juſtum temperavi. Phaëthontis enim ſeculum imminere Myſtæ qvidam prodiderunt, cujus oblivionem nollem mihi exprobrari. Scilicet mundum hunc, qvem habitamus, ad extremũ omnem igneſcere, non unus credidit. Hoc futurum ſuos putaſſe ſcribit Tullius lib. 2. de Nat. Deorum. Idem Chryſippus olim divinavit. Manifeſtiora ex ſacris Dei noſtri monumentis indicia elucent, qvæ mundum igne conſumendum perſvadent. Hinc Naſo lib. 1. Met:

Esse qvoq; in fatis reminiscitur, affore tempus,
Qvo mare qvo tellus, correptaqve regia cœli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

Universi igitur excidium, si à meis ædibus ordiretur principia, parum referre existimavi, siqvidem omnes posthac similes ruinæ involvent. Temperare tamen mihi non potui qvin in recenti vulnere mecum nonnihil mussitarem. Vulcani fabulam veterem eludere cœpi & penes me pro fabula habere. Minervæ ille amicus ferebatur olim, jam inimicissimus, cum uno velut fulmine supellectilem librariam & tot annorum lucubratio-

brationes proſtraverit, neutiqvam æqvo animo ferens, qvod à Beato Auguſtino l. 4. de Civ. Dei. cap. 10. cooperarius Minervæ appelletur. Qvia, inqvit Ludovicus Vives, curat ille cum Minerva fulmen Jovis. Imò claudus ille furcifer Æoli utrem implevit. Ad mentem Auguſtini idem Ludovicus putat, ideò dici Minervæ cooperarium, qvod hæc ſit Dea artium, etiam earum in qvibus uſus eſt manuum, qvas Græci χειρεργικὰς vocant. Ille verò Deus inſtrumentorum, ſine qvibus hæ artes non exercentur. Addit, qvod Vulcanus qvoq; ipſe artibus præeſſe exiſtimatus ſit. Euſebius enim inqvit; ex artibus alias Minervæ, ut bellicas, alias

Vul-

Vulcano, ut omnes qvæ per ignem fiunt, asſignari ſolitas. Qvicqvid pro Vulcano laboret Vives, ad omnium ſeculorum memoriam proclamabo: eſſe Minervæ deſtructorem. Fxpertus jam loqvor, & mecum teſtantur ſi per violentiam & tyrannidem deſtructoris Vulcani ſupereſſent, inſtrumenta Anatomica & Chirurgica, libri Anatomici & Chirurgici, infinita arcana Medica & Chemica, Antiqvarii pluſculi & Philoſophi, & qvod palmarium, opera à me ductu & auſpiciis Minervæ confecta, propediem lucem viſura, niſi à nimia & ardente Vulcani luce eſſent ſuffocata & extincta. Deplorarunt & alii Deſtructoris hujus

hujus ſævitiem, ne exemplis careamus, aut pro ſolò exemplò me poſteri adducant, ſi qvi triſtis mei caſus meminiſſe dignaturi ſint. Nullum regnum, nulla aula, cui non paravit ruinam. Libros Sibyllinos eadem fortuna manſit. Cum enim Tarqvinius Superbus pretium novem ſibyllinorum librorum à muliere qvadã expetitum non daret, igne ſex exuſti feruntur, eodem pretio pro reliqvis tribus ſoluto. Et ut huic argumento nonnihil immoremur, nulla gens, nullum ſeculum fuit, qvo non optimi qviq; libri à deſtructore Vulcano paſſi detrimentum. Si gentium Annales evolvamus, librorum excidium vel odio perſonarum vel

materiæ culpa procuratum. Aliis per infortunii casum successit. Odio Hieremiæ Prophetæ Joachimus Judæorum Rex volumen per Baruch scribam missum in conspectu Principum suorum igne cremavit, sicut narrat Josephus lib. 10. Antiqv. Jud. cap. 8. Duodecies mille volumina Hebraica Cremonæ A. C. 1553. exusta esse, pariterq; per universam Italiam sævitum ex Windetio de Vit. Funct. Stat. pag. 21. repetit Lomejerus de Bibl. cap. 3. In Cnido Insula una ex Cycladibus Bibliotheca fuit, qvam Hippocrates ex invidia, qvod Cnidii suæ medicinæ sectam contrariam profiterentur, concremavit. Invidiâ Plato usq; adeò

qvoq;

qvoq; laboraſſe dicitur, ut Democriti commentaria cremari voluerit, niſi ab Amyda & Clinia Viris Pythagoricis prohibitus fuiſſet, aſſerentibus eos non poſſe extingui, cum apud multos paſſim exempla eorum librorum ſervarentur. Similia de Ariſtotele narrantur, qvi veterum Philoſophorum monumenta Vulcano ſacra voluit, ut ſecurius de illis triumpharet. Bibliotheca Conſtantinopolitana à Theodoſio Juniore inſtructa, æmula Ptolomæi, ſub Zenone Imp. A. C. 473. conflagravit, ab Iconomachis duce Leone Iſauro Imperatore excitato incendio. Eadem ante Baſilici Tyranni tempore à concitata plebe in invidiam Baſi-

Baſilici flammis periit, interq; alios libros fuit Draconis inteſtinum longum pedes 20, cui Homeri Ilias & Odyſſea aureis litteris erant inſcripta. Ereptum verò fuiſſe ex hoc incendio Baſilicano inde colligit Claudius Clemens in Bibl. Inſtr. qvod cum Leo Iſaurus eandem Bibliothecam utcunq; ad tricena tria millia volumina reſtitutam, veſano furore percitus in ſacras imagines, cremaret, illud inteſtinum adhuc ibi fuiſſe Conſtantinus, Cedrenus, Zonaras, Glycas teſtentur. Niſi forſan ad prioris inteſtini imitationem, qvod priori incendio perierat, religione qvadam novum fuerit confectum. Lubet prius incendium à

Leone

Leone III. Iſauro excitatum, egregiè à Conſtantino Manaſſe in Annalibus deſcriptum recitare ex verſione Lewenclavii: Non procul à divinæ ſapientiæ fano ſplendida domus à priſcis Imperatoribus erat exſtructa, qvam nuncupare licuiſſet amœnum hortum, arboribus libros ferentibus plenum, adeoq́; lucum pulcherrimis omnigenæ doctrinæ ſapientiæq́; plantis conſitum. Nam erat in ea congeſtus librorum theſaurus, qvorum numerus tricena & tria millia complectebatur. Talis hortus, tantusq́; lucus divini cujusdam hominis curæ fideiq́; commendatus erat, qvi doctrina præſtabat, & ſupra cœteros omnes radiis

ſcientiæ collucebat: non inepte dixeris, alium qvendam Adamum fuiſſe, divinum curatorem arborum, de pulchris Edenis arboribus delicias capientem, ejusq; plantarum non marceſcentium agricolam. Vivebant cum hoc & alii tanqvam ſecundarum partium duces ab illo Imperatore primi: luculenta reapſe ſidera, noctisq́; colluſtratores. Hi tot numero, qvot circuli zodiaci ſigna ſunt, mercede literarum & doctrinæ cupidos inſtruebant & caliginis velum tam in putri præſtigiisq́; referta Græcorum, qvàm religioſisſima noſtra diſciplina ſuis auditoribus adimebant: uno illo, de qvo diximus, inter omnes Solis inſtar lucente.

Tan-

Tanta vero in opinione virtutis erant, ut ne ipsi qvidem Imperatores novi qviddam & inusitati vel moliendum, vel agendum sibi putarent, illis in consilium non adhibitis. Tales ergo viros, autoritate singulari, & innocentia vitæ conspicuos, variorumq́; donorum ubere copia præstabiles, Imperator intra sua retia comprehendere, suiq́; furoris impii participes efficere multum sitiebat. Qvum autem cunctis molitionibus adhibitis elideretur, (nec enim vel metu, vel minis in sententiam suam pertrahere poterat: qvumqve auro etiam uteretur, cœteroqvin in expugnabili socio, tamen aqvilam se perseqvi, vel sidera jactu

contingere velle deprehendebat) tandem re desperata, (qvinam hæc obsecro exponam?) consilium sævum, absurdum, impium capit, qvod ne qvidem immanis Scytha vel Massagethes cepisset. Materiam siccam & concremabilem ex aridis fascibus coacervat, eaq; succensa cunctos exurit, homines inqvam illos (eheu) religiosos cum ipsis libris. Proh infestum virtuti animum, proh mentem belluinam. Nimirum ex ungvibus sænam. Nimirum ex ungvibus sævus ille Leo jam agnitus est. Pulcherrima qvæq; de disciplinis omnibus istic adservabantur, & inter alia volumen exstabat admirabile, confectum de draconis intestino, cui erant inscripti libri

libri Homerici, tam Ilias tota, qvam Ulyſſea. Tantum Conſtantinus. Alexander Pſeudomantes libros Epicuri exuſſit ficulneis lignis, ſignificans Philoſophum eſſe nullius precii. De Tiberio Tacitus l. 4. Ann. qvod Cremuntium Cordum, Virum Sapientem & Doctum ad mortem compulerit, ejusq; libros per Ædiles incendi juſſerit. Apud Senecam lib. Suas. 7. deliberat Cicero, an ſcripta ſua comburat, promittente Antonio incolumitatem ſi feciſſet. Nempe odio Tullii flagrans Antonius libros ejus abolere voluit, ut fama ſublata majus de eo ſupplicium ſumeret. At eleganter inter alia P. Aſprenatis ita perora-

vit: Permitte Te populo Romano contra Antonium: ſi ſcripta combuſſeris, Antonius paucos annos tibi promittit, at ſi non combuſſeris, populus Romanus omnes. Zelo Bibliothecis exitioſo vel potius odio poſſeſſorum præclara priori ſeculo Manuſcripta hic & alibi perierunt, qvorum fruſta naufraga hinc inde ad cucullos ablegata invenimus poſteri. Idem ab Anabaptiſtis Monaſterienſibus factitatum Sleidanus & Wigandus in Commentariis ſuis Hiſtoricis prodiderunt. Inter reliqvos enim qvidam Joh. Matthæus proclamans ſibi cœlitus à Patre revelatum eſſe, ut præter Biblia ſacra, nulli libri in urbe relinqverentur,

aliiq; omnes in aream prope ſummum templum deferrentur Vulcano tradendi, tantum effecit, ut è veſtigio tantus librorum cumulus ſuccenderetur, ut precio 20000. aureorum æſtimaretur. De Bibliotheca illuſtri Juliani Apoſtatæ in Trajani templo erecta, annotatum memini à Joviniano uxoris ſuaſu incenſam, faces ſubjicientibus concubinis. Majorem facti rationem habuerunt, qvi non autorum invidia, ſed odio argumenti vel impii vel Principum arcanis adverſi libros rogo adjudicarunt. Prothagoræ libri ab Athenienſibus in foro cremati, qvia animæ immortalitatem negavit. Pomponatii idem argumentum,

 idemq;

idemq́; exitus vitæ & librorum Atheismum docentium. Senatus Romanus Libros Numæ Græcos de religione, qvam aliqva ex parte ſolvere videbantur, per Q. Petilium Prætorem urbanum in concione populi facto igne concremavit. Inſipienter id qvidem, judice Lactantio l. 1. de Falſ. Rel. cap. 22. Qvid enim profuit libros eſſe combuſtos? cum hoc ipſum, qvod ſunt ideò combuſti, qvia religionibus derogabant memoriæ ſit traditum? Nemo tum in Senatu non ſtultisſimus. Potuerunt enim & libri aboleri, & res tamen in memoriam non exire. Odio religionis veræ Antiochus Epiphanes plurimos codices cremavit.

Vide

Vide Macchabæorum Annales. Achaz impius libros Legis combussit, ne ex iis idololatriæ argueretur. Herodes pariter omnes libros genealogicos Solymis incendio consumsit, ne generis sui ignobilitas patesceret, & tempore persecutionis Diocletiani & Oratoria destructa, & scripturæ igne exustæ sunt. Qvasi unius Codicis jactura Dei æterni cultum insitum & aliis monumentis proditum subruere, Tyranni in potestate esset. Non carent pietate Christiani Zelotes qui hæreticorum & blasphemorum librorum incendia urgent, modo in hæreticis non errent, illosve atro carbone notent qvibus pro fidei & confessionis
 funda-

fundamento eſt Chriſtus Θεάνθρωπος. Iſtam enim licentiam ſibi Rerumpublicarum Domini ſumunt,ut contra libros,qvi crimen aliqvod læſæ Majeſtatis continent, ſupplicia ignis ſumant. Major Numinis reverentia eſſe debet, qvod honore & cultu afficiendum, non blaſphemo calamo proſcindendum. Contra Arium ejusq́; libros extat edictum Conſtantini Imperatoris Chriſtianisſimi ad Epiſcopos & populum, qvod hic legi meretur ut lux huic argumento accedat: Cum Arius ſcriptorum & impiorum hominum conſvetudinem imitetur, eandem cum illis ignominiæ & turpitudinis notam meritò ſubire debet. Qvemadmodum

dum Porphyrius capitalis hoſtis pietatis, qvi nefarios libros contra pietatem Chriſtianam nuper edebat, mercedem dignam laboribus recepit, & ejusmodi qvidem, ut apud poſteriora ſecula non ipſe ſolum maximis probris vexatus fuerit, & turpiſſima labe infamiæ aſperſus: verum etiam impia ejus ſcripta deleta, & penitus extincta; ſic etiam viſum eſt Arium & ejus ſectatores Porphyrianos nuncupare, ut qvorum ſecuti ſunt mores, eorum nomen habeant; qvin etiam ſi qvod opus ab Ario ſcriptum reperiatur; illud cremandum eſſe. Illud etiam mandamus, ut ſi qvis librum ab Ario ſcriptum occultaſſe deprehenſus

ſit,

ſit, & eum non ſtatim in medium adductum igne combuſſerit, morte mulctetur. His illisq; in pœnam Bibliotheca Vulcano ceſſit. Ego hac parte beatior qvod nulla impietate in Deum aut in Principes offenſa, Bibliothecæ rogum viderim. Nihil enim continebat, qvod rogo dignum eſſet; nulla ex calamo meo linea fluxit, qvæ vel Deum læderet, vel Regem offenderet, vel orbem non erudiret aut non oblectaret. Qvicqvid ſiniſtri ex adverſo evenit, pœna librorum prohibitorum non fuit, ſed juſta laborum qvies. Deo ſit laus, qvod iſtud teramus ſeculum qvo nulla ingenii ſupplicia, nec bonis libris martyria parantur. Unde con-

confidentia major & ſpes melior me animat, ne Labieni malo exemplo, qvi ſuperſtes eſſe noluit ſcriptis ejus combuſtis, in monumenta nuper in Templo B. Virginis funeri meo parata me ferri vivus patiar, atq; includi, veritus ſcilicet cum illo, ne ignis qvi ſubjectus eſt homini librisq́; corpori negetur. Neq; lectores amici ſibi metuent, ſi librorum meorum lectioni horas non paucas hactenus impenderunt. Illo qvidem tempore, qvo libri Labieni ex SCto urebantur, Caſſii ſeveri hominis Labieno junctisſimi pulchra ſententia fuit, Seneca docente: Nunc me vivum uri oportet, inqvit, qvi illum edidici. De

editis

editis laborandum non eſt, reliqvi nemini oneri erunt, nec ſibi, nec autori. Fero iſtam calamitatem fortius, qvia in familia noſtra ſævire Vulcano jam pridem ipſi pro conſvetudine eſt. Avo meo memoriæ beatæ D. THOMÆ FINCKIO, incendio conſumti libri Medici & Mathematici præclariſſimi, qvorum jacturam nunqvam ſine lacrymis meminit Senex Venerandus, nullis alioqvin animi motionibus concuſſus. Præter vel culpam noſtram vel odium aliorum fortuitos caſus, ſed non ſine Dei voluntate vel conſenſu, agnoſcimus, ſicut de libris ſacris ex Irineo l. 3. c. 25. docemur, qvi, ſimul cum templo, magno infortunio

con-

conflagrarunt cum Hierosolymæ à Babyloniis expugnarentur. Sub L. Antonino Commodo Capitolium fulmine ictum Bibliothecæ magna cura piorum congestæ incendium secum traxit. Omnium seculorum commiseratione digna est Bibliotheca Alexandrina Ptolomei Philadelphi cura & sumptibus erecta, qvæ nullo malorum consilio aut operâ deditâ conflagravit sed à Cæsaris militibus auxiliaribus, dum ædificia proxima & navalia incenderentur, ortum damnum. Qvadringenta millia librorum ibidem arsisse in pulcherrimo regiæ opulentiæ monumento scribit Seneca cap. 9. de Tranq. Animi. At Ammianus

nus Marcellinus lib. 22. ad numerum 700000. ascendit. Reparatæ deinde Bibliothecæ à Cleopatra idem fatum fuit. Nam ab Arrianis exustam esse Athanasius prodidit l. de Persecut. Orthod. Narrant Annales Britanniæ, Eboraci Angliæ Bibliothecam ab Egberto Eboracensi Archiepiscopo instructam, regnante Stephano una cum Cathedrali Ecclesia fortuito incendio fuisse haustam. Ita qvæ non sperantur, ex transverso fiunt, & sine consilio fata partiri videntur superi. Qvanqvam, si Stoico fides, morbus, captivitas, ruina, ignis, nihil horum repentinum sit. Sapiens enim scit in qvam tumultuosum contuber-

nium natura nos cluſerit. Novit paucos ſecura qvies, & cum maximè ſplendet fortuna, vitri inſtar rumpitur. Ubiq; naufragium Æolus, & incendium Vulcanus, Minervæ Deſtructor, procurat, etiam maximè cautos opprimens, ut ſi ipſe tibi domi caveas, foris ſcintillæ advolent. Ex Bartholomæo Bononienſe narrat Claudius Clemens l. 3. De Muſ. Cur. ſ. 2. cap. 9. de Antonii Urcei Codri Grammatici Bibliotheca, qvi Forolivii habitabat in penetralibus palatii, cubiculumqve adeò tenebricoſum ſortitus fuerat, ut vel de die indigeret lucernæ lumine: hanc cum per imprudentiam inextinctam reliqviſſet negotiorum gratia in fo-

rum egreſſus, igne omnem exhauſtam, libris conflagrantibus, inter qvos & is fuit, qvem Paſtoris titulo ipſe compoſuerat. In ſubli- miori atq; apertiori parte Muſæi hanc Inſcriptionem cælaverat: *ſtudia lucernam olentia benè olent.* Certè peſſimè hic olebant. A qvo periculo jam longo tempore ſecurus fui, qvi per 20. annos nunqvam ad lucernam ſtudia emenſus ſum, oculorum imbecillitate refragrante, cum Sole labores meos partitus. Qvicqvid ſit, Vulcanus per inſidias externas, nullo domeſticorum errore, noſtros lares aggreſſus, Minervam noſtram deſtruxit, ſed omni conatu efficere non potuit, ut Jovis cerebrum ſuis

ruinis

ruinis involveret. Excidium Musarum molitur. Sed velut Phœnix ex cineribus ſuis illæ reviviſcent. Beſtiolas qvippe imitantur, qvas in Cypro inſula in ærariis fornacibus pennatas naſci Ariſtoteles prodidit in Hiſtoria Animalium, qvæ in igne victitant. De Salamandra alii ſimilia teſtantur; ſed hæc velut canis ad Nilum, ignem pertranseundo viſcoſa cute eludit. Non moratur in igne, ſed fugit. Pabulum ſuggeſſimus igni ſævienti chartis æternitati conſecrandis, ut experiremur qvo modo in igne expurgatorio ſe gererent. Nati olim ad Solem explorabantur an legitimi. Mei qvoq; ingenii & laboris fœtus ad ignem examinati, qvia immaturi,

pro vitalibus & legitimis habiti non ſunt, igne ulterius perficiendi. Ita ſolabar triſte & prædii & Bibliothecæ meæ incendium, credidiq; à Deo immortali qvietem in ſenio creſcente imponi & clementer concedi, qvam ipſe hactenus variorum operum editione mihi denegavi. Ne vel hæc nimis ſe ad plures curas laxaret, vel charta materiesqve ſcribendi aliis præriperetur, utraqve igne debuit coërceri. Neqve enim aliunde incendium accerſerim, qvam à Deo vel jubente in pœnam, vel permittente ad probationem. Aviculas forte innocentes pueri coqvebant pro prandio, neſcii inde pennæ meæ exurendæ fomenta

expe-

expediri. Aruſpicinam damnavi, nec adhuc magnum illi pretium ſtatuo, certus miniſtros eſſe Dei ignem urentem. Igniſpicinam potius didici, cujus primus autor Amphiaracus Plinio traditur, & ex fumo capnomantiam, antea mihi ignotam, ut ex fumis ſaperem, & in adverſis conſtantiam exercerem. Imperium in bona mea exercuit Vulcanus, non in animum, ſæviitq; in chartas innocentes, ut ad innocentiam me informaret. Si fractus incendio illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ. Supereſt mens bona, qvam Deus dedit, Philoſophia perfecit. Igneum Dæmonem non moror, ſed ignis Dominum ſubmiſſo cultu veneror.

Palladius Evagrii discipulus in Historia Patrum narrat, Igneum Dæmonem vexaſſe adoleſcentem à Divo Machario curatum, qvi poſtqvam trium incendiorum panes comediſſet & aqvæ calicem bibiſſet, utrumq; eructans, cibos vertebat in vaporem: ab eo enim non ſecus ac igne conſumpta fuiſſe potum & alimenta. Sicut à Deo immiſſa flamma, ita ab eo extincta cum ad præfinitos illi limites perveniſſet. Alia incantamenta non admiſerim, qvanqvam ſint qvi arte curioſa ignem & ſuſcitare ſe jactent & extingvere. Epiphanius notat, Joſephum qvendam templum Domino ædificantem ex Judaismo nuper ad fidem Chri-

Chriſti converſum, cum Judæorum præſtigiis impeditæ eſſent calcis fodinæ ardere, jusſiſſe ſibi adferri vas aqva plenum & in eo feciſſe ſignaculum crucis, dicendo: In nomine Jeſu Nazareni qvem crucifixerunt Patres mei & Judæorum hic circumſtantium, fiat virtus in hac aqva ad probationem incantationis ac Magiæ, qvam hi fecerunt, & ad efficaciam potentiæ ignis ad perficiendam domum Domini: & ſic accepiſſe aqvam & manu ſingulas fornaces aſperſiſſe ut ſoluto incantamento ſtatim ignis emerſerit. Sunt qvi gallo ruffo incendium ſiſti dicant. Alii nutu certisqve verbis rem conficiunt. Sed ſolius Dei eſt, qvi imperium

habet in elementa, cui parendum, ut qvicqvid illius lex immota jubet, ſine cunctatione patiamur. Mallem bonorum partem ſuperſtitem unà conflagraſſe, qvam neſcio vel invito Deo ſervatam. Neqve vindicis Dei ſemper ſignum cenſendus ignis, qvanqvam nemo noſtrum culpa vacet. Sæpe qvippe benignum ſe flammis immisſis monſtravit. Moyſe, Elia, Salomone immolantibus, ignis cœlo demiſſus victimas accendit ac ſingularis favoris indicio conſumſit. Paganis idem de Dis ſuis creditum. Seleuco Pellæ rem ſacram facienti, ligna aræ impoſita ſua ſponte ſine igne exarſerunt. In ara Egnatiæ Nymphæ

in Appulis ex lignis exſtructis & non incenſis, repente exilierunt flammæ. In colle Vulcano apud Siculos juxta Petrenſium Stagnum ſarmentorum faſces ex ſe ſua ſponte ignem conceperunt, nulloq; adhibito carbone, nullo vento flante in incendium eruperunt. Fabuloſa qvidem hæc poſteriora reputat Caſp. Peucerus de Divin. Gen. aut faſcino excœcatis hominibus à Diabolo perfecta igne ſubdito: cæterum benignas de igne à DIS immiſſo cogitationes produnt. Inter læta enim ſigna ignis numeratus, ſicut variis veterum documentis in Libris De Luce Animalium docuimus. Hinc lucernarum origo in ſacris tam Judæorum qvam

 Chri-

Chriſtianorum, qvi id à Romanis habuerunt, apud qvos tædis lucidæ erant ædes feſtivæ. In qvam rem plura congeſſit teſtimonia Jo. à Chokier Cent. 2. cap. 8. Fac. Hiſtor. qvi videri poteſt. Lætitiæ qvoqve omen erat ignis advenientium hoſpitum, non ille, ut loqvitur Seneca, qvi ex lautorum culinis erumpere & terrere vigiles ſolet, ſed hic modicus qvi hoſpites veniſſe ſignificat. Tantoqve in precio habitus apud Perſas, ut Strabo lib. 15. Geogr. referat, præcipuè igni & aqvæ ſacrificaſſe, igni arida ligna imponentes, adepto cortice, & arvina ſuper injecta, deinde infuſo oleo, ſuccendentes, non inſpirantes, ſed ventilantes. Qvod ſi-

qvis inſpiraret aut mortuum qvicqvam cœnumve in ignem immiſerit, morte plectebatur. Hinc Perſæ & Ægyptii nefas putabant, mortuos comburere. Nam Perſæ ignem Deum exiſtimant, ſeu, ut loqvitur Sextus Empiricus adv. Mathem. l. 8. Θεοφορȣ͂σιν, ignem in Deos referunt, Herveto interprete. Qvare minus juſtum judicant, humanum cadaver, Romanorum Barbarorumq; more, offerre Deo. Imò pulchritudini ignis comparatur. Xenophon enim ait, ignis qvidem tangentes ſolum urit, pulchri verò etiam procul diſtantes inflammant. Videndus de eo argumento Stobæus Serm. 64. Nupt. Nero certè, monſtrum

illud

illud generis humani, pulchrum Roma conflagrante ſpectaculum hauſit. Apud Romanos imperii æternitatem deſignabat ignis perpetuus, cui Virgines Veſtales ſervire ſolebant. Cur id? Qvod ſicut ex virgine, ita ex igne nihil naſcatur B. Auguſtino lib. 4. Civ. Dei cap. 10. Sed puritatis communis officio fungebantur, & imperii vigilantiſſimi indicium præferebant. Ignis enim vigilantiæ ſignum. Hinc ſpeculatorii ignes excitantur, Trojanis temporibus haud ignoti. Virgil. l. 6. Æneid.

— flammam media ipſa tenebat
Ingentem, & ſummâ Danaos ex arce vocabat.

Im-

Imperatoribus ſignificabant qvæ ſcire intererat. Apul. l. de Mundo: Ex eo numero erant & diuturni curſores, atq́; nocturni exploratores, & per vices incenſæ faces ex omnibus regni ſublimibus locis in uno die Imperatori ſignificabant, qvod ſcitu erat opus. Tanta beneficia ignis ſunt, qvæ cum damno qvidem meo expertus ſum, ſed pro ſolatio damni interpretor. Mala omnia, qvæ eveniunt, pro bonis ſapiens accipit, qvia cum lædere vel frangere animum utriq; fortunæ parem non poſſint, non niſi in externis occupata, doloris ſui ſenſum leviorem corpori imprimunt. Cauſam ego gravem video nullam, qvæ a conſveta
animi

animi tranqvillitate me dimoveat, salva uxore, liberisq; superstitibus, imò, ipso me salvo, ut votum Bilbilici ad Theodorum, invertere possim ex l. XI. Ep. 94.

Pierios vatis Barthlini flamma Penates
Abstulit. Hoc Musis, hoc tibi, Phœbe, placet?
O laus, ô magnum facinus, Superumq; favores,
Non arsit pariter, qvod domus, & Dominus.

Jactura facta est bonorum, sed non omnium, sed minimorum. Crevit cottidie qvinqvaginta & qvatuor annorum spatio felicitas mea, auctæ facultates Dei benignitate. Cur leve telum ægrè ferrem? Tributum Deo persolvi semel,

ſemel, ſed moderatum, qvod ſæpe aliis & gravius imponit. Ædificium magnis ſumptibus & emptum & reſtauratum corruit, ut ſplendidius ad leges Architecturæ commodiusq; exſtruatur. Salvus fundus, horreum manſit, florent ſylvæ, prata, campus. Ex 50. circiter villis prædio meo ſubjectis, octo tantum incenſæ, ut de immunitatibus tributorum à Rege clementer conceſſis gloriarentur. Deus crumenam laceravit, ut ampliorem redderet. Rex indulgentiſſimus beneficiis ſuis favet. Amici domi forisq; condolent, captantq; occaſiones certantibus officiis, ut ſe amicos reapſe probent. Qvid plura? Librorum

ſele-

ſelectorum, ſtudio meo non oſtentationi inſervientium, deplorare incendium non debeo, qvia vel ære redimi poſſunt, vel qvia iis hactenus ſatis lectis, in ſenio meo carere poſſum. Una doloris cauſa in Manu exaratis libris ſupereſt, qvæ non tam me, qvam publicum tangit. Publica ea jactura eſt, pro qva nemo mortalium paciſci qveat, qvia irreparabilis. Me immenſo onere & gravi ſarcina ſublevatum ſentio, omnia mecum, qvæ ſcio, portans. Ocio meo nemo jam invidet, ſed ignoſcit, in qvo mihi magis gravis vixi, qvam aliis ſupervacuus. Major jam ſum, qvam ut mancipium ſim Bibliothecæ, qvæ non aliter ab
aliis

aliis posſidetur, qvam ut vinculum ingenii. Poſthac ſi qvid per ætatis oblivionem perdidi, in qvo ſe animus & penna explicare ſolebat, utilioribus, qvæ ad mortis meditationem ducunt, ut melior beatiorq; ex vita exeam, commutabo. Tempus enim monet, & Deus qvaſi dato per ignem exploratorium ſigno jusſit, ut ſarcinis collectis, de alio poſt fata vivendi genere ſerio cogitem, ſpretisq; mundanis, qvæ hactenus vel mentem occuparunt, vel calamum delaſſarunt, ad immortales de Deo animaq; curas me totum componam. Immortales credidi literas, ſed jam didici à Vulcano eſſe mortales. Sola mens morta-

litatem effugit. Nam qvanqvam Ægyptii perſvaſum habuerint, ſicut narranti Stobæo Serm. 22. Conſulat. credimus, ignem animatam qvandam eſſe belluam, qvæ qvæcunq; nanciſcitur, devorat atq; conſumit: at cum eſt expleta, ipſam & qvæ ab ea vorata ſunt, una emori: Tamen conſumere non poteſt ea, qvæ conſumi ipsâ æternitate non poſſunt. In hæc nulla Protervia valet, qvæ olim dicta, cum omnia igne cremabantur in Vulcani ſacris, de qvo Gyraldus in Hiſt. Deorum diſſerit. Anima velut aurum igne purificatur, non læditur. Et verè B. Auguſtinus l. 12. Civ. cap. 4. ignis ipſe pœnaliter, vel ut alii legunt, aliter, appo-

appoſitus pernicioſus eſt, qvi conuenienter adhibitus/commodisſimus invenitur. In illo ardore,qvi diſplicere videtur,nonnulla animalia per convenientiam ſalubriter dicuntur vivere: & nos per ejus violentiam moniti prudenter & piè. Auſimq́; & cineribus librorum meorum, qvos vel ventus disſipat, vel pedibus calcamus, perpetuitatem famæ polliceri. Vivent in ore hominum, vivent in recordatione noſtra, vivent in eruditorum deſideriis,& ſi ſeculum Phœnicis revideamus, pulveres vicinos ſecum animabunt. Non ſemel rogum illorum altâ cogitatione immerſus tranſii. Viſa ſunt veſtigia librorum confuſa, qvalia

animalia qvædam circa cubile faciunt, ne inveniri possint. Ingemui. Mox qvietem gratulatus, nihil interesse vidi inter qvercum & papyrum, nisi qvod illa dispersa silentio involvatur, hæc per me, per amicos, per historias hebdomadales decantetur, semperqve revirescat. Qvoad humanum genus incolume manserit, qvamdiu literis usus, honor erit libris sine litteris jam legendis:

Vos docti cineres, famæ spes maxima nostræ,
Pulveribus tandem vix tamen apta meis:
Inter & immensas & tristes forte ruinas
Si nostræ moveat vos pia cura manus;

Heu

Heu meminiſſe nocet. Durum eſt. Cur? fata perorant,
Ut vos longa qvies, ſed ſine nocte, premat.
Sic latuiſſe juvat. Juncta conabimur arte
Ad ſuperos noſtra ut nomina flamma ferat.

Expoſiti in publicum eſtis, anteqvam nati, & ante cum applauſu editi qvam omnia naſcendi tempora percurſa eſſent. Facili hoc gradu ad immortalitatem graſſamini, qvia ſine typorum injuriâ ad publicum emerſiſtis, & ſine tineis ad famam. Qvid intereſt blattis tineisqve conſumi, an ab igne? Non ultimi hoc fato eritis, nec primi fuiſtis. Amoris indicium fuit,

qvod domo nutritia conflagrante, iisdem flammis vos submiseritis, ſicut apud Indos uxores maritorum rogis abſumuntur. Loqvimini inter ruinas veſtras autoris veſtri inſtitutum, & qvod ſyllabis non valetis, pulvere ſignate, diligentiæ noſtræ teſtes perpetui vel eruditionis. Ita ultimum cineribus vale dixi, hac addita Inſcriptione:

D. M.
Qvi tranſis Spectator
Favillas eruditas vide & ingemiſce.
Heic cineres docti profanis miſti
Loqvi non ceſſant
Qvanqvam & literæ deſint & lingvæ
Qvos poſteri loqventur.

Etiam

Etiam cum propriis colluctantes cineribus
Qvorum flamma absumere potuit contextum
Neutiqvam in orbe locum,
Nunqvam memoriam.
Abi ocyus
Ne pulvere moto oculi frustra offendantur
Qvi se in hoc librorum pulvere
Ante cineres
Cum voluptate occuparunt.

Cæterum ut orbi docto & curioso constet, qvæ amissa sint opera, nostrâ manu elaborata, Pancirolli Deperditis annumeranda, qvia bis scribere non soleo, non gravabor indice digito monstra-

re titulos librorum, qvos relegere grave est. Tot plerumq; librorum tituli Catalogis publicis consignati leguntur, qvi futuris Nundinis prodituri expectantur. Hic Lector inspiciet, qvales posthac desiderare possit, nunqvam lecturus. Si nihil unqvam molitus fuissem præter ista deperdita, satis laudis ad me, & commodi ad publicum redundasset. Jam testari possunt, plura mihi vitæ esse argumenta, præter ætatem.

I. Celsus de Medicina Notis Variis Medicis, Philologicis & Antiqvariis à me illustratus, cum Variis Lectionibus & Lexico Cl. V. Joh. Rhodii.

Opus

Opus diu orbi erudito desideratum, qvod annis abhinc XXX. promisit beatus Rhodius, sed nunqvam serio manum admovit. Varias tantum Lectiones magna cura congessit ex Codicibus MStis Florentino, Vaticano, Veneto, Mediolanensi, aliisqve, omnibusq; libris editis, qvæ sine ulla censura ad manus meas pervenerunt beneficio beati Collegæ nostri D. Thomæ Bangii, ad qvem reculæ posthumæ Rhodianæ hæreditate conjugis pertinebant. Emendationes promiserat, qvas nunqvam nancisci potui. Lexicon deniq; composuit, in qvo maximam tot annorum partem consumpsit. Ego verò notis Medicis & Philo-

logicis universum Autorem illustrare in me suscepi, jamqve ad finem qvinti libri me perduxerat ordo, addita ubiqve ἐπικρίσει ad varias lectiones tam à Rhodio collectas, qvam per me superadditas. Cæterum frustraneus omnis noster labor. Intercidit jam multorum annorum meditatum opus, nec spes est damnum resarciri posse. Abiit enim hinc Celsus noster ad excelsos, sui omnibus eruditis desiderio relicto.

II. Anatome Practica, ex morbo defunctis, pro sede affecta inqvirenda.

Utilissimo operi annos plusculos dedicavi. Universam Anatomen non ad morem vulgarem alio-

aliorum Profectorum, qvi hactenus in hoc pulvere desudarunt, ex sanis corporibus, sed morbo defunctis ea methodo composui, ut singularum partium à capite ad calcem constitutio præternaturalis in qvocunqve morbo innotesceret, idqve ex sola αὐτοψία. V. g. in Hydrope, Phtisi, Apoplexia, Febre, aliisqve, qvæ sit viscerum singulorum color, figura, connexio, situs, &c. ex cadaveribus hoc vel illo morbo denatis descripsi, propriâ inspectione usus tam in publicis Sectionibus morbidorum, qvam privatis defunctorum, qvam in Nosocomiis publicis à me in longa peregrinatione olim visitatis. Inspexi ad institutum meum promoven-

movendum omnium Medicorum tam Veterum qvam Recentiorum libros, qvos Practicos vocamus, Institutiones, Observationes, Epistolas, Historias, Consultationes, Anatomes, Casus, & ubicunq́; morbidum cadaver apertum inveni, meo argumento adjeci. Qvo fine qvoq́; lecti sunt gentium Variarum Annales & Ephemerides, ubi Principum exenterationes pro conditura annotantur. Magnum inde ad sedes affectas cognoscendas, & ad curationem morborum momentum promittere ausus fuissem, si ad finem perducere susceptum dudum ex qvo Anatomica tractavi opus licuisset. Idem argumentum desiderarunt
mul-

multi, nemo hactenus perfecit. Nec unius hominis eſt aut ætatis. Rogandi verò ſunt Proſectores in Academiis, in Noſodochiis, ut huic Anatome utili operam impendant, ex qva plus ad Rempublicam Medicam commodi redundabit, qvam ex cæteris ſanorum ſectionibus, curioſis ſæpe, non proficuis, qvam ex reliqvis Practicorum libris, qvi variis ſignis, ſed dubiis, de internis morborum ſedibus conjecturam faciunt. Ab oſtentatione alienum mihi ingenium natura dedit. In hoc tamen muſtaceo laureolam reportaſſem, niſi invidia Vulcani interveniſſet.

III. Antiqvitates Puerperii Variarum gentium, inprimis Romanorum.

Opus

Opus varia eruditione, niſi me feſellit opinio, refertum, cujus prima lineamenta duxi annis abhinc triginta & amplius, idq́; ſvaſu Cl. Walæi, qvi id argumentum deſiderari monuit. Meurſius qvidem Græcæ literaturæ interpres celebris de Græcorum puerperio folia tria olim publici juris fecit, ſed nimia brevitate lectorem curioſum ſatiare non poteſt. Ad plura digreſſus ego, qvicqvid Autorum veterum lectio aſſidua, qvicqvid Philologorum aliorum obſervationes, qvicqvid variarum gentium inſtituta, mores, ritus, antiqvitates ſuppeditarunt, qvicqvid ad hoc argumentum illuſtrandum Ebræi Doctores, Græci ſapientes,

Roma-

Romani diligentes conferre potuerunt, cum delectu ſelegi & ſuo ordini reddidi, grata & diffuſa varietate naſcendi tempora percurrens, qvid nempe ante nativitatem, qvid in puerperio, qvid poſtea actum fuerit. Ornarunt Librum juſtæ magnitudinis variæ veterum Inſcriptiones, & figuræ paſſim Romæ, Neapolis, Gaëtæ, Florentiæ, in Sicilia magno ſtudio à me collectæ ex ruderibus & Doctorum Virorum monumentis. Synopſin ſeu ſumma Capita typis publicis olim commiſi cum reducem me patria Academia primum vidiſſet. Nec deſtiti exinde ad ſuſceptum Opus augendum conferre qvicqvid vel propria lectio

ſug-

ſuggeſſit, vel eruditi alii ad rem pertinere judicarunt, ut ſi inducias exigui temporis fata conceſſiſſent, fidem publico exſolvere qvamprimum potuiſſem. Jam in ipſo puerperio fœtus, in partu laborans, extinctus, Lucinam inimicam nunqvam ſollicitabit, nec Proſam nec Poſtverſam. Abiit enim illuc, unde negant redire qvenqvam.

IV. Anatome Pagana.

Veterum de ſingulis corporis partibus ſuperſtitiones vel religiones, ritusqve ex veterum monumentis tradidit & ex Theologia Paganorum.

V. Epiſtolarum Medicinalium Centurias Tres

Ad

Ad prælum paratas habebam, jamq; omnibus neceſſariis conqviſitis, ad editionem ſe accinxerat Hauboldus, ex cujus officina Priores qvatuor Centuriæ, qvæ publicè leguntur, prodierunt pridem. Vehementer excrucior qvod interciderint Magnorum amicorum litteræ de variis rem Medicam & Naturalem concernentibus, una cum Reſponſionibus meis, multis Obſervationibus refertis. Non mea culpa aut oblivione periiſſe reſponſa, ab eruditis amicis expetita, injurato credent Lectores. Qvanqvam verò neſcius haud ſim, commercium interdum literarum intercurriſſe illorum, qvos publica fama vel damnavit

vel ſuſpectos habuit; (jure vel injuria, ad me non ſpectat,) ſciat tamen orbis, ſemper menti meæ obverſari Senecæ illud cap. 11. de Tranq. An. *nunqvam me in bona re mali pudere auctoris.* Etiam detrimento famæ meæ paratus fui, majorum præſertim accedente autoritate, tentare Virorum fama qvacunq; eruditionis vel experientiæ notorum pennas, & excutere loculos, ſi forte arcana humanis ſenſibus & valetudini profutura exinde elici poſſent. Si qvid hac parte à me peccatum, publicum juvandi ſtudio imputetur, cui me hactenus conſecravi.

VI. Liber De Morbis Lymphaticis.

Inven-

Inventis Vaſis novis Lymphaticis, ut uſum illuſtrem propalarem, omnium morborum ſeriem percurri, qvi à lymphæ vitio vel deficientis, vel abundantis vel corrupti dependent vel alio modo peccantis vel intra vaſa ſua vel veſiculis concluſi vel alieno loco effuſi. Non diſplicuiſſe eruditis propoſitum, ex multorum voto intellexi, præſertim cum pleraq; ſenſibus ipſis comprobaverim & lymphæ vitiatæ remedia propoſuerim. Cæterum medium operis curſum ſtitit flamma, lymphis adverſa, ut lampada hanc aliis tradere cogar qvi vel ætate magis florent, vel ad experimenta robur habent & occaſionem. Ex-

perientia qvippe vegetos ſenſus reqvirit & integras vires, qvas deficere cottidie ſentio, ut non tam fortunæ aut occaſioni, qvam ætati cedere cogar. Sine experientia verò longâ, in diſſectione corporum exercitata, fruſtra hic qvicqvam præclari præſtiteris. Veniam igitur ab orbe erudito de facili impetrabo, qvod operis promiſſi voto exciderit, & ſi forte qvidam inter alios titulum hujus libri legerint in Catalogis Francofurtenſibus, ſciant Paullini noſtri ſtudio promiſſum fuiſſe publico opus, qvod ad editionem amicè conceſſeram qvamprimū ultimā manum impoſuiſſem. Ne ea obſervatione privetur Lector, addo inter poſtremas obſervationes fuiſſe

iſſe Nobilem Matronam, in cujus utero poſt mortem aperto globuli connexi ſplendida lymphæ gelatina pleni inventi, qvorum particulas etiam ante excrevit qvam fatis cederet.

VII. Medicina Danica inqvilinis remediis proprios morbos ſanãs.

Vulgo noſtro inſervire placuit, non doctis, qvamqvam malam gratiam inire videar à Pharmacopœis. Cœterum magis me credidi obſtrictum publicæ patriæ utilitati, qvam qvæſtui mercatorum ex alienis longeqve petitis mercibus diteſcentium. Dedit Deus inqvilina remedia pro curatione morborum domeſticorum, qvibus uti poteſt qvisqvis ab officinis Phar-

maceuticis remotior, nec Medicos habet qvos consulat, nec marsupium, qvod peregrinis remediis impendat. In prædio nata scribendi & experiundi occasio, ut vel amicis vicinis, vel egenis, vel domesticis, auxilium à me petentibus, subvenirem. Neq; enim semper in urbem ad officinas se ablegari æqvo animo passi sunt, & infra medici dignitatem naturæq; domesticæ gloriam existimavi, foris qværere magnis impensis remedia, qvæ domi pedibus ubiq; calcamus sine precio. Ita cum in prædio degenti mihi non ita pridem offerrentur duæ puellæ morbillis malignis in maxillis defædatæ gangræna serpente & universa

faciei turpitudinem minantem: ſtatim ſola aqva marina cui abſinthium incoxeram ſtiti malignitatis progreſſum & à deformitate vindicavi. Eodem remedio pa-rabili imminentem in pede gangrænam Viri inhibui. Cum alius paralyſin lateris ſiniſtri mihi aperiret, juſſi ſpiritum frumenti, qvem noſtri pro ſpiritu vini utuntur, cum herba paralyſi copiosè in ſylvis noſtris luxuriante extractum ſpinæ dorſi inungere. Pleuritides populariter graſſantes ſolo hordei decocto perſanavi, cum à venæſectione abhorrerent. Scorbuticos non paucos decumbentes trifolio noſtro aqvatico in cereviſia veteri, qvam pro balſamo ſingulari

ſellæ noſtræ ſervant, decocto féliciter reſtitui. Hydropicos foliis tenerioribus Sambuci loco foliorum Senæ, expurgavi, & ubiq; his illa ſubſtitui. Alias infinitas curationes omitto. Nec jam memoriæ occurrunt, qvæ de populari Medicina cogitandi dederunt occaſionem.

VIII. Bibliotheca Anatomica.

Omnium Proſectorum tam Veterum qvam Recentiorum ſcripta, inventa, vitas, & effigies qvas nanciſci licuit, complexus breviter fueram.

IX. Obſervationes De Unicornu Auctæ.

Plurimis obſervationibus creverat liber olim à me Patavii editus, jamqve figuris nonnullis au-

auctior in procinctu ſtabat qvi iterum in publicam lucem procederet, & Bibliopolis noſtris prima data occaſione licentiam impresſionis promiſeram.

X. De Pygmæis Analecta.

Opuſculum beati Parentis D. Caſpari Bartholini Senioris, his Analectis paſſim à me lectis & obſervatis auxeram.

XI. Apologia Pro Pharmacopœa Danorum.

In Medicorum noſtrorum defenſionem conſcripta, ſi forte, qvod nonnulli jactitarunt, Medicinam noſtram Danorum virulenta lingva & penna aggredi volupe cuiqvam foret.

XII. De Gloſſopetris Melitenſibus Diſſertatio.

Cum

Cum olim Melitam Insulam inviserem, nata mihi fuit hæc Dissertatio, collectis glossopetris omnium figurarum & magnitudinum qvas incolæ illius loci afferebant, qvasqve ipse hinc inde ad Musæi complementũ conqvisiveram. Cæterum aliis lucubrationibus exinde distractus perficere incœpta non potui. Summam tamen Dissertationis in Historiis Anatomicis signavi.

XIII. De Morbis Fungosis Opusculum.

Occasionem scribendi dederat Fungus pedi cujusdam Neapolitani annatus, qvem Marcus Aurelius Severinus, in cujus familia studiorum communium causa vixi, mascula & cordata manu

manu curavit. In Catalogo librorum à me edendorum, qvi Panormi 1644. prodiit, & qvem deinde Vitis Academicorum suorum Illustris Senator Venetus Jo. Franciscus Lauretanus inseruit, spem publicè hujus libelli & aliorum, qvos perficere non sivit ætas, feceram. Nam multa cadunt inter calicem supremaqve labra.

XIV. Antiqvitates Homini Medico necessariæ.

Tam multæ illæ sunt, ut brevi libello absolvi neqveant. Sine antiqvitatum notitiâ ne titivilitio Medicus eruditus æstimandus. De balneis & veterum exercitationibus, aliisqve huc spectantibus, res confessa apud peritos.

Lumen prætulent Mercurialis, Cagnatus, Reinesius, & alii, qvos impari gressu qvamqvam seqvar, certus tamen sum vel ex hoc Libello, vel Notis meis ad Celsum, infantiam meam in hoc studiorum genere accusari non potuisse, si flammis eximi concessissent fata. Beatus noster Rhodius in Scribonio, & Dissertatione de Acia seu Fibula veterum, & de Ponderibus monstravit se Virum Antiqvitatum Medicarum peritum.

XV. Instrumenta Medica.

Et figuras & usum & descriptionem omnium Instrumentorum Medicorum adumbraveram, qvæ vel veterum vel re-

centiorum Medicorum induſtria invenit.

XVI. Miſcellanea Medica.

Utilia pariter & jucunda.

XVII. Arcanorum Medicorum Volumen.

Theſaurus à me collectus fide experimentorum & remediorum ſecreto uſu ſe mortalibus commendavit.

XVIII. De Animalibus in Norvegia.

Animalium Norvegiæ, terreſtrium nempe, aqvatilium & volatilium deſcriptionem lingva vernacula veteri exorſus olim in Norvegia fuerat patriæ amantiſſimus Dn. Petrus Claudius Undalinus, autor Hiſtoriæ vernaculæ Norwegicæ à Magno noſtro Docto-

Doctore Olao Wormio editæ; Sed rudi Minerva religiosus Vir partibus istis functus est. Cum mihi ex reculis Paternis D. Wilhelmus Worm, laceras Undalini pagellas concederet, accuratius singulorum animalium historiam examinavi, in ordinem redegi, auxi, illustravi, & lingva doctorum legendam exhibere constitui.

XIX. Notulæ Hippocraticæ in Aphorismos Hippocratis.

Ex mente enim Hippocratis ipsius optimè Aphorismorum sensum asseqvimur.

XX. Notæ & Emendationes in Cælium Aurelianum.

Methodici hujus Autoris libri De Morbis Acutis & Chronicis manu

manu medica indigentes, non obiter à me lecti, qvia obſcura & dubia multa continent ſive Methodicorum ſententias expendas, ſive dictionis novitatem, digni mihi viſi ſunt, in qvibus ingenii vires experirer, qvosqve Emendationibus non paucis illuſtrarem.

XXI. Strabus Gallus Notulis & Variis Lectionibus illuſtratus.

Hortulus hujus Poëtæ Medici amœniſſimus non parum lucis & ſplendoris mutuatur ex Manuſcripto meo Codice eleganti charactere in membrana ſcripto, cujus cineres inter alios deploro libros Manu veteri ſcriptos Vulcano conſecratos, qvos inter ſe-

lictæ

lectæ Bibliothecæ usum in prædio locaveram.

XXII. Jo. Rhodii De Ponderibus & Mensuris Celsi Commentarius.

Confusus ille qvidem, à me eo animo descriptus, ut Celsi editioni, velut præclara lacinia egregiæ purpuræ, assueretur.

XXIII. Jo. Rhodii Notæ & Emendationes in Vegetium De Mulomedicina.

Notæ perbreves erant, sed variarum lectionum numerus infinitus. Lexicon qvoqve accessit modo Rhodiano concinnatum.

XXIV. Simonis Paulli Observationes Crocodili.

Lau-

Laudati Viri dextra manu & arte diſſecti fuere duo Crocodili Hafniam non ita pridem advecti ad Divum FRIDERICUM TERTIUM Daniæ Regem Auguſtiſſimum. Qvas in iis obſervationes habuit, aliis negotiis diſtractus, mihi amicè cum figuris concredidit, ut dato ocio meis obſervationibus auctas in publicam orbis curioſi ſcenam producerem. Sed jam aqvis in Nilo aſſueti, didicerunt etiam ignem ferre.

XXV. Jacobi Holſte de Febribus Commentarius.

Doleo Eruditi Viri Doctum Commentarium periiſſe, qvem ad me, nomini meo inſcriptum, miſerat ut prælo noſtro ſubjiceretur. Titulus libri trivialis,

ſed nihil plebejum continens. Ex novis enim principiis ſucci nervei & flammulæ cordis febrium cauſas & Symptomata deduxit, de qvibus in Protropo publicè omnes monuit. Ego in laudem libri & Autoris Præfationem addidi.

XXVI. Filiorùm meorum Caſpari, Chriſtophori & Thomæ Bartholinorum *Panegyricæ Orationes* Memoriæ Divi FRIDERICI TERTII Regis Daniæ Sacræ.

In Oratorio Sacro Hageſtedano ſoluta & ligata oratione merita Divi Regis proſeqvuti ſunt filii, ut etiam à minimis laudaretur ille qvi maximorum laudes & gloriam ſuperavit. Eſt qvippe aliqvid prodire tenus, ſi non da-

datur ultra, & devotus filiorum animus, qvi à ſe nihil, ab illo, qvem orationibus laudarunt, ſplendorem mutuatur, officio ſuo & obſeqvio ſatis ſe feciſſe exiſtimavit, qvod voluiſſe licuerit. Poſſe enim vix majorum gentium Oratoribus hactenus conceſſum.

XXVII. Parum abfuit qvin inter deperdita numeraretur *Anatome mea* ex omnium Recentiorum propriisqve Obſervationibus qvartum ad Circulationem Sangvinis & Vaſa Lymphatica *Renovata*, qvam non ita pridem ad Celeberrimum Virum D. Gerardum Blaſium Medicinæ Profeſſorem Amſtelodamenſem miſeram ut typis Hackianis in

Belgio novis figuris illuſtrata ſubjiceretur. Periculum imminens qvaſi fuga prævertit, tutiori loco inter amici manus conſervanda, nec dubito qvin brevi ſumptis alis univerſum orbem ſit pervolitura. Utinam Auſpicato. Extra teli jactum poſitam ſcio, qvia Nymphis ſe defendit & Lymphis, nec Vulcani injuriis exponitur aqvis Batavorum Martiis innixa. Vera qvidem ſententia eſt Publii apud Stoicum:

Cuivis poteſt accidere, qvod cuiqvam poteſt:

Cæterum non tam facilè iter fortunæ patet ad librorum interitū, ſi typorum beneficio ſe multiplicent, & plus mille exemplaribus legantur per orbem diſperſi, niſi uni-

universſum hoc, qvod incolimus, communi ruinæ ſubjiciatur, aut flammæ ſe per omnes orbis angulos diffundant. Hujus artis divinæ beneficiũ eſt, qvod cætera Opuſcula mea, qvæ hacten⁹ edita ſunt, adhuc relegere poſſim vel ab amicis vel ex officina Libraria repetenda. Penes Vulcanum ſi arbitrium rei ſtetiſſet, etiam hac librorum particula orbus eſſem. Niſi grave ſit Lectori, Catalogum ſubnectam privatæ Bibliothecæ ex propriis vel meo nomini dicatis Operibus hactenus editis conſtructæ, qvam Vulcanus qvidem cum reliqvis conſumpſit, ſed minori meo damno, qvia alibi proſtant.

I. Anatomia Casp. Bartholini Parentis, novis Observationibus & figuris à me Locupletata. Lugduni-Batavorum 1641. in 8. apud Fr. Hackium.

II. Anatomia eadem Germanico idiomate edita à Simone Paulli, Hafniæ 1648. in 8. apud Moltkenium.

III. Anatomia Secundum Locupletata. Lugd. Bat. in 8. apud Hackium 1645.

IV. Anatomia eadem Gallica lingva edita ab Abrahamo Pratæo. Parisiis 1646. in 4. apud Oliv. Varennes.

V. Anatomia eadem Italicis versibus reddita per Hostilium Contalgenum. Florent. 1651. in 12.

VI. Ana-

VI. Anatomia Tertium ad Sangvinis Circulationem Reformata, cum novis iconibus Lugd. Bat. 1651. in 8. apud Hackium.

VII. Eadem Anatomia. Hagæ-Comitis 1655. in 8. apud Adr. Vlacq.

VIII. Eadem Anatomia. Hagæ-Comitis 1660. in 8. apud eundem cum append. Lymphatic.

IX. Eadem Anatomia. Lugd. Bat. & Roterodami apud Hackios in 8. 1669.

X. Eadem Anatomia in Belgicam lingvam translata & edita à Thoma Staffart. Lugduni-Bat. 1653. in 8. apud Hackium.

XI. Eadem Anatomia Belgica. Hagæ-Comitis. 1658. in 8. apud Vlacq.

XII. Eadem Anatomia cum Notis Th Staſſart. Lugd. Bat. 1669. apud Hackios.

XIII. Anatomica Aneurysmatis diſſecti hiſtoria. Cum Cl. D. van Horne ejusdem argumenti Epiſtola. Panormi 1644. in 8. ap. Alph. de Iſola.

XIV. De Unicornu Obſervationes Novæ. Patavii 1645. in 8. apud Jul Crivellari.

XV. De Monſtris in Natura & Medicina. Baſileæ 1645. in 4. apud Georg. Decker.

XVI. De Angina Puerorum Campaniæ Siciliæqve Epidemica Exercitationes, cum Cl. Viri Renati Moræi de Laryngotomia Epiſtola. Pariſiis 1646. in 8. apud Oliv. de Varennes.

XVII. Commentarius in Severini Pædanchona. Neap. 1663. in 8. apud Robertum Mollium.

XVIII. De Latere Christi aperto Dissertatio. Lugduni-Bat. 1646. in 8. apud Jo. Maire.

XIX. Antiqvitatum Veteris Puerperii Synopsis. Hafniæ 1646. in 8. apud M. Martzan.

XX. De Luce Animalium Libri III. admirandis historiis, rationibusqve novis referti. Lugd. Bat. 1647. in 8. apud Fr. Hackium.

XXI. De Luce Hominum & Brutorum Libri III. Editio secunda auctior & emendatior. Hafn. 1669. in 8. apud P. Hauboldum.

XXII. De Armillis Veterum, præsertim Danorum Schedion. Hafn. 1648. in 8. apud M. Martzan.

XXIII. Anatomicæ Vindiciæ Cl. V. Caſp. Hofmanno, aliisqve oppoſitæ. Hafniæ 1648. in 4. apud M. Martzan.

XXIV. Animadverſiones in Anatomica Hofmanni. Hafniæ 1648. in 4. apud eundem.

XXV. De Variis Reipublicæ Chriſtianæ Morbis, & placidis illorum remediis Diſſertatio Oratoria. Hafniæ 1649. in 4. apud M. Martzan.

XXVI. Collegium Anatomicum Diſputationibus 18. adornatum. Hafniæ 1651. in 4. apud Varios.

XXVII. De Cruce Chriſti Hypomnemata IV. 1. De Sedili medio. 2. De Vino Myrrhato. 3. De Corona Spinea. 4. De Sudo-

re

re Sangvineo. Hafniæ 1651. in 8. apud M. Martzan.

XXVIII. Eadem Hypomnemata. Amſtelodami 1670. in 12. apud Andr. Friſium.

XXIX. De Lacteis Thoracicis in Homine brutisqve obſervatis Hiſtoria Anatomica. Hafniæ 1652. in 4. apud M. Martzan.

XXX. Eadem. Pariſiis 1654. in 8 apud Mat. du Puis.

XXXI. Eadem. Genuæ 1654. in 8. apud Ben. Guaſchi.

XXXII. Eadem. Lugd. Bat. 1654. in 12. apud Wiingard.

XXXIII. Eadem. Londini 1652. in 12. apud Oct. Pulleyn.

XXXIV. Eadem. Ultrajecti 1654. in 12. apud Achersd.

XXXV. Eadem. Heidelbergæ 1659. in 8. apud Wiingard.

XXXVI. De Lacteis Thoracicis Dubia Anatomica, &, An Hepatis funus immutet medendi methodum. Hafniæ 1653. apud M. Martzan in 4.

XXXVII. Vasa Lymphatica in Animalibus inventa, & Hepatis Exseqviæ. Hafniæ 1653. in 4. apud G. Holst.

XXXVIII. Vasa Lymphatica in Homine inventa. Hafniæ 1654. in 4. apud. M. Martzan.

XXXIX. Defensio Vasorum Lacteorum & Lymphaticorum adversus Jo. Riolanum. Hafniæ 1655. in 4. apud M. Martzan.

XL. Examen Lactearum contra Riolanum & Harvejum. Haf-

Hafniæ 1655. in 4. apud Melchiorem Martzan.

XLI. Spicilegium Primum ex Vaſis Lymphaticis, ubi Clariſſimi Viri Gliſſonii & Pecqveti ſententiæ expenduntur. Hafniæ 1657. in 4 apud P. Morſing.

XLII. Spicilegium Secundum ex Vaſis Lymphaticis, ubi Backii, Cattierii, le Noble, Tardii, Whartoni, Charletoni & Bilſii Sententiæ examinantur. Hafniæ 1660. in 4. apud P. Morſing.

XLIII. Spicilegia bina De Vaſis Lymphaticis uno volumine recuſa, edente Gerardo Blaſio. Amſtelodami 1661. in 12. apud Montanum.

XLIV. Paralytici Novi Teſtamenti Medico & Philologico Com-

Commentario illuſtrati. Hafniæ 1653. in 4. apud M. Martzan.

XLV. Paralytici iidem, edente Georg. Segero. Baſileæ 1662. in 8. apud L. König.

XLVI. Oratio in Obitum D. Olai Wormii. Hafniæ 1655. in 4. apud M. Martzan.

XLVII. Oratio in Obitum D. Henrici Fuiren. Hafniæ 1659. in 4. apud Morſing. Vid.

XLVIII. Diſpenſatorium Hafnienſe. Hafniæ 1658. in 4. ap. G. Lamprecht.

XLIX. Hiſtoriarum Anatomicarum Rariorum Centuria Prima & ſecunda. Hafniæ 1654. in 8. apud P. Hauboldum.

L. Hiſtoriarum Anatomicarum Centuria I. & II. Hagæ-Comit. 1654. in 8.

LI.

LI. Hiſtoriarum Anatomicarum Centuria I. & II. Amſtelodami 1654. in 8.

LII. Hiſtoriæ Anatomicæ Germanicè editæ à Georgio Segero. Francofurti 1657. in 8.

LIII. Hiſtoriæ Anatomicæ Belgicè editæ. Amſtelod. 1657. in 8.

LIV. Hiſtoriarum Anatomicarum Rariorum Centuria III. & IV. Hafniæ 1657. in 8. apud P. Haubold.

LV. Hiſtoriarum Anatomicarum & Medicarum Centuria, V. & VI. Hafniæ 1660. in 8. ap. Haubold.

LVI. Panegyricus Auguſtiſſimo Regi Daniæ Friderico III. Primo Regnorum Hæredi, publicè Academiæ nomine co-

ram

ram Rege dictus. Hafniæ 1660. in fol. apud Gödianum.

LVII. De Nivis Usu Medico Observationes Variæ. Accessit de Figura Nivis Dissertatio Erasmi Bartholini ad Th. Bartholinum. Hafniæ 1660. in 8. apud P. Haubold.

LVIII. Disputationes Variæ Medicæ Hafnienses. Hafniæ in 4.

LVIIII. Cista Medica Hafniensis, variis Consultationibus, Casibus, Vitisqve Medicorum Hafniensium repleta. Hafn. 1661. in 8. apud Haubold.

LX. Domus Anatomicæ Hafniensis Descriptio. Hafniæ 1662. in 8. apud Gödianum.

LXI. Responsio ad Novas Observationes Bilsianas contra Nic.

Nic. Laſſium. Hafniæ 1661. in 8. apud Haubold.

LXII. Reſponſio eadem, edita Belgicè à Jo. Blaſio JCto. Amſtelod. 1661. in 8. apud Montanum.

LXIII. Caſtigatio Epiſtolæ maledicæ Biltii, ubi Bilſianæ artes deteguntur & Profeſſoria dignitas vindicatur. Hafn. 1661. in 8. apud Veridicum.

LXIV. Reſponſio & Caſtigatio contra Bilſium, Amſtelod. 1661. in 12. apud Montanum.

LXV. De Hepate Defuncto Diſſertatio, novis Bilſianorum Experimẽtis oppoſita. Hafn. 1661. in 8. apud Weringium.

LXVI. De Pulmonum Subſtantia & Motu diatribe. Hafn. 1663. in 8. apud Gódianum.

LXVII. De Insolitis Partus Humani Viis Dissertatio Nova. Hafn. 1664. in 4. apud Hauboldum.

LXVIII. De Cometa Consilium Medicum, cum Monstrorum nuper in Dania natorum Historia. Hafn. 1665. in 8. apud Hauboldum.

LXIX. De Medicina Danorum domestica Dissertationes X. cum Vindiciis & Additamentis. Hafn. 1665. in 8. apud Haubold.

LXX. De Hepatis Exautorati Desperata Causa cum præcipuis Eruditæ Europæ Medicis Concertatio. Hafn. 1666. in 8. apud Dan. Paulli.

LXXI. Epistolarum Medicinalium Centuria I. & II. Hafn. 1663. in 8. apud Haubold.

LXXII.

LXXII. Epiſtolarum Medicinalium Centuria III. Hiſtoriis Medicis aliisq́; ad rem Medicam ſpectantibus plena. Hafn. 1667. in 8. apud Haubold.

LXXIII. Epiſtolarum Medicinalium Centuria IV. Variis Obſervationibus curioſis & utilibus referta, Hafn. 1667. in 8. apud Haubold.

LXXIV. Orationum Medicarum Volumen. Hafn. 1668. in 8. apud Dan. Paulli.

LXXV. De Cygni Anatome & Cantu, Bewerlini Diſſertatio, Notis auctior ex Schedis meis, edente filio Caſparo Bartholino. Hafn. 1668. in 8. apud eundem.

LXXVI. Carminum Libri VIII. Hafn. 1669. in 8. apud. Dan. Paulli.

LXXVII. De Medicis Poëtis Dissertatio. Hafn. 1669. in 8. apud Dan. Paulli.

LXXVIII. Opuscula Anatomica de Vasis Lacteis & Lymphaticis Uno Volumine comprehensa, aucta & recognita. Hafn. & Francof. 1670. in 8. apud Dan. Paulli.

LXXIX. De Cerebri Usu Medico & Artificio oculos restituendi Epistolæ. Hafn. 1669. in 4. apud Dan. Paulli.

LXXX. De Simplicibus Medicamentis inqvilinis cognoscendis Epistolica Dissertatio. Francof. 1669. in 8. apud Dan. Paulli.

LXXXI. De Flagrorum Usu Medico, cum Henr. Meibomii ejus-

ejusdem argumenti Epiſtola ad Th. Bartholinum, Francof. 1670. in 8. apud Dan. Paulli.

LXXXII. Oratio in Obitum Johannis Mulenii, ubi de Antiqva Danorum Moneta. Hafn. 1669. in 4. apud Godicchen.

LXXXIII. Anatomes Auguſtæ Figuræ æri inciſæ Imperfectum opus.

LXXXIV. Operum Catalogus Hafn. 1661. in 8.

Idem carmine redditus per Chriſtophorum Friis Erphurdenſem, Hafn. 1663. in 8.

LXXXV. Operum editorum Catalogus nona editione auctior, Hafniæ 1667. in 4.

LXXXVI. Epiſtolæ varii argumenti in Operibus Deuſingii,

gii, Sachsii, Majoris, Hobokenii, &c.

LXXXVII. De Pleuritide Paradoxa Endoxa, Basileæ in 4. 1645.

LXXXVIII. Elenchus Operum M. Aur. Severini editus à Th. Barholino. Neapol. 1643. in 4.

LXXXIX. Joh. Walæi Epistolæ duæ de Motu Chyli & Sangvinis ad Th. Bartholinum. Lugd. Bat. 1641. 1645. 1651. alibiq; vel decies editæ.

XC. De Aureo Cornu Olai Wormii, Eruditorum judicia edita à Th Bartholino. Patav. 1645. in 8.

XCI. De Hyssopo in cruce Christi Cl Salmasii Epistolæ Tres ad Th. Barthlinum, cum Præfatione ejusdem Th. Bartholini Lug. Bat. 1646. in 8.

XCII.

XCII. Obſervationes Anatomicæ Pawii poſthumæ ex Muſæo Th Bartholini. Hafn. 1656. in 8.

XCIII. Joh. Rhodii Mantiſſa Anatomica ad Th. Bartholinum. Hafn. 1660. in 8.

XCIV. Cornari Vita Sobria ad Uſum vulgarem accommodata, cum Præf. Th. Bartholini. Hafn. 1657. in 12.

XCV. Obſervationes Jo. Veslingi & Epiſtolæ Anat. & Med. poſthumæ cum Præfat. Th. Bartholini, Hafn. 1664. in 8.

XCVI. Meditationes Bonæ lingva vernacula verſæ ab Eliſ. Tottia, cum Præf. Th. Bartholini, Hafn. 1664. in 12.

XCVII. Obſervationes Medicæ Variorum, ex Muſæo Th. Barthol. Hafn. 1665. in 8.

XCVIII. Mich. Lyſeri Culter Anatomicus cum duplici Præfatione Th. Bartholini. Hafn. 1665. in 8. apud Haubvld.

XCIX. Alberti Bartholini De Scriptis Danorum liber poſthumus, cum Præf. Th. Bartholini, Hafn. 1666. in 8. apud Haub.

C. Jacobi Holſte de Flammula Cordis Epiſtola, cum Præfatione Th. Bartholini de eadem Flammula. Hafn. 1667. in 8. apud Dan. Paulli.

CI. Liſſeti Benancii Fraudum & Errorum à Pharmacopœis commiſſorum ex Gallico Declaratio ex Muſæo Th. Bartholini. Francof. 1667. in 8.

CII. Dialogus de Fraudibus Pharmacopœorum nonnullorum

rum Joh. Ant. Lodetti, ex Italico Latinâ lingvâ donatus & editus ex Musæo Th. Bartholini, Francof. 1667. in 8.

CIII. Gesneri de Lunariis, ex Musæo Th. Bartholini. Hafn. 1669. in 8. apud Haubold.

CIV. Olhafii & Wormii De Usu Renum, cum Præfatione Th. Bartholini, Francof. 1670. in 8.

CV. Marcelli Malpighii Epist. Anat. de Pulmonum Substantia, cum Præfatione Th. Bartholi, Hafn. 1663. in 8. apud Haubold.

CVI. Cygni Anatome, Ejusqve Cantus Joh. Jacobi Bewerlini Præsid. Th. Bartholino, Hafn. 1650. in 4.

CVII. Controverſiarum Medicarum Decas Wilhelmi Wormii Præſide Th. Bartholino propoſita. Hafn. 1653. in 4.

CVIII. De Uſu Partium Communium Corporis Humani Integumentorum Diſſertationes duæ Georgii Segeri, Præſide Th. Bartholino, propoſitæ. Hafniæ 1656. in 4.

CIX. De Uſu Thoracis Diſſertatio Anatomica Wilh. Oderi Dantiſcani, Præſide Th. Bartholino publicæ disqviſitioni ſubjecta. Hafn. 1657. in 4.

CX. De Gutta ſeu Morbo Articulari Diſputatio Inauguralis Caſpari Kólichen Sileſii, Præſide Th. Bartholino publicè propoſita, Hafn. 1664. in 4.

CXI. La Sferza Poëtica de Sapricio Saprici al Tomaſo Bartholini, Venet. 1643. in 12.

CXII. Cæcilii Folii Auris Internæ delineatio, ad Th. Bartholinum, Venet. 1645. in 4.

CXIII. Nihuſius de Cruce Chriſti ad Th. Bartholinum. Colon. Ubior. 1647. in 8.

CXIV. Riolani Animadverſiones ad Th. Bartholini Anatomen Reformatam, Hiſtoriam Lacteorum & Lymphaticorum, &c. Pariſ. 1653. in 8.

CXV. Meſſis Aurea Triennalis Hemſterhuſii ad Th. Bartholinum. Lugd. Batav. 1654. in 12.

CXVI. Meſſis eadem, ad eundem. Heidelbergæ 1659. in 8.

CXVII. Insidiæ structæ Vasis Lymphaticis Th. Bartholini detectæ à Mart. Bogdano. Francof. 1654. in 4.

CXVIII. Olai Rudbechii contra Th. Bartholinum De Ductibus Hepaticis Aqvosis, & Vasis Glandularum Serosis, Lugduni Batav. 1654. in 8.

CXIX. Apologia pro Th. Bartholini Vasis Lymphaticis Mart. Bogdani, cum Præfatione Th. Bartholini Hafn. 1654. in 12.

CXX. De Lympha Bartholiniana Georgi Segeri, cum Præf. Th. Bartholini. Hafn. 1655. in 4.

CXXI. Ejusdem de Qviddìtate & Materia Lymphæ Bartholinianæ, cum Epistolis. Hafn. 1658. in 4.

CXXII. Triumphus Cordis duce Th. Bartholino erectus per Georgium Segerum Hafn. 1654. in 4.

CXXIII. Louys de Bils Brief aen Th. Bartholinum. Roterd. 1661. in 8.

CXXIV. Ludovici de Bils Epistolæ duæ ad Th. Bartholinum. Roterodami 1661. in 4.

CXXV. Antonii Deusingii Hepatis Resurrectio ad Th. Bartholinum. Gróningæ 1661. in 12.

CXXVI. Ejusdem Responsio ad Th. Bartholinum. Gróningæ 1662. in 12.

CXXVII. A. Deusingii Responsio De Casu Mulieris ossa fœtus excernentis, ad Th. Bartholinum. Gróningæ 1664. in 12.

CXXVIII. Jo. Pecqveti Dissertatio Anatomica de Lacteis Thoracicis ad Th. Bartholinum. Paris. 1657. in 4.

CXXIX. Ph. Jacob. Sachs à Lewenheim, de Analogo motu Aqvarum ex & ad Oceanum, ad Th. Bartholinum. Uratislav. 1664. in 8.

Per plura me non diffundam qvanqvam plura sint, ne vel ostentatione nimia Lectorum abutar patientia, vel vulnus recenti plaga inflictum irritem, cujus optimum remedium, doloris oblivio, gratias Deo O. M. referens subjectissimas, qvod velut olim in fornace Babylonica Viros Tres flammæ adjudicatos contra ignis vehementiam, sine chiro-

chirothecis, qvibus apud nos Chriſtianæ religionis primordia cepere, ſola divina virtute & Angeli præſentia induraverat, ita charisſima pignora mihi illibata & ab igne furente intacta conſervaverit. Valeant Libri, modò liberi ſuperſint. Deo igitur ſoſpitatori noſtro, ſit Laus, Honor, & Gloria in ſeculorum ſecula. Regi qvoqve Clementisſimo Dn. CHRISTIANO QVINTO vota ex ſolvo, qvod multis magnisqve me meosqve à flammis ereptos beneficiis affecerit, majoribus ſanè qvam Nebucodonezar Schadrakum, Meſchakum, & Abednegonem, qvibus in Provincia Babel proſpexit de publicis officiis ſplendidis, de

redi-

reditibus amplis cum ſalvi fornacem incenſam evaſiſſent certo divini auxilii argumento. Ita minus perdidiſſe me video, qvia Deus me meosqve incolumes voluit, Rex Auguſtisſimus ſuperſtites clementia ſua fovet, nobisq; ad reſarcienda deperdita animum addit, ut cum Julio Firmico Materno l. de Errore Prof. Relig. gloriari qveam: Incenſa eſt Troja à Græcis, à Gallis Roma, & ex utroqve incendio Palladium reſervatum eſt. Sed reſervatum non propriis virtutibus, ſed Dei præſidio, ſed Regis auſpiciis. Divus FRIDERICUS TERTIUS ſua præſentia flammas incendiorum potuit ſedare. CHRISTIA-

STIANUS QVINTUS ſua munificentia ſolatur & clementer emendat, qvicqvid ipſo inſcio flammæ commiſerunt. In tutela Vulcani ignis eſt, & materies ejus in illius regimine dicitur conſtituta. Rectè tamen qværit Arnobius l. 9. adv. Gentes, cur ædes freqventisſimè ſacras, atqve urbium potiores (addo Bibliothecarum) ad cinerem patitur flammarum voracitate collabi? Nos in tutela Dei, ſub imperio Regis CHRISTIANI à flammis nos tutos credimus. Qvanqvam enim altero pede in Inſula Lemno claudus Vulcanus, nos utroqve pede in Dania claudicare tentaverit; utroqve tamen pede læ-

tiores reſurgemus, ſi Jupiter noſter, ſeu Deus immortalis faveat, ſi Jovis filius, Rex clementisſimus tueatur, & pro Regii animi magnitudine orbem jubeat intelligere, qvantum ille pro Literatorum necesſitate ſuam metiatur beneficientiam, ut in Regno Daniæ non Vulcanus, ſed CHRISTIANUS regnet, plusqve hic cum ſceptro, qvam ille cum malleo valeat.

Ad Excellentisſimum Virum

Dn. THOMAM BARTHOLINUM

Prof. & Archiatrum Honorarium,
De Incendio Hageſtediano, qvo omnia manuſcripta ejus ſimul fuerunt conſumpta.

OMnia pervolitans, triſtis violaverat ignis,
Hagſtedias Muſas, Hagſtediamqve domum.
In cineres vertitq; caſas, fænilia, tecta,
Parvaq; momento, Troja cremata tua eſt.
Extinxit tot ſcripta, tui monumenta laboris,
Qvæ dabat in cineres, ſic ruitura labor.
Ut Lucem aſpicerent, perverſa Mulciber arte
Dum tentat, fecit luce perire ſuâ.
Forſitan ut nitidos dent inter ſydera vultus,
Æthereæ curæ, ſydera ſumma petunt,
Excelſus Celſus, cœlorum diligit ignes
Exoſus terras, nomen in aſtra refert;
Nomen in aſtra tuum referet, qvod torrida flamma
Non potuit triſti contumulare rogo.

Matthias Jacob-Matthiades,
Prof. Reg.

In
Incendium
Medicis luctuosum,
Qvo
Incomparabilis Viri
DN. THOMÆ BARTHOLINI
Prædium & instructissimæ Bibliothecæ pars cum diversis MSS. inter qvæ venerandi Parentis
SIMONIS PAULLI D.
Anatomica Relatio Crocodili,
flammis penitus exusta.

HActenus infestant operosa volumina blattæ,
Nunc qvoqve Mulciberi res metuenda venit.
Qvid genus Æschlapi potuit committere tantum,
Annorum ut studium devoret una dies.

Turbavit Crocodilus aquas hinc funere digno
Per medios ignes debuit ille mori.
Sed Barthline, *Tibi Lymphatica Vasa dedisse*
Qvid prodest? cladem flamma inimica dedit.

Scrib. Helmstad.
Christianus Paulli Danus.
Sim. Fil.

Ad Patrem Venerandum

Dn. THOMAM BARTHOLINUM.

Ecce Pater, Pater ecce tuos Vulcanus amores
Accendens, flammis consecrat ille suis.
Ah scelus, Ah facinus! properans sic fata minari,
Et nomen flammis lædere velle tuum.
In fumum tamen illa cadūt, tua gloria flammis
Crescit, &, ut lumen, clarius inde micat.
Hæc tua sit pietas, Genitor; Tua flamma perennat,
Ut veniat, post tot nubila, clara dies.

Casparus Bartholinus
Thomæ Filius.

Ad eundem.

JAm ſpargis venerande Pater tua damna per orbem,
Ut videat pennæ fata maligna tuæ.
Bibliotheca jacẽs, Genitor decꝰ omne tuorum,
En cinis eſt, Muſas atra favilla tegit.
Qvid qverimur? tu perge Pater contemnere fata.
Nam nos inviti diſcimus illa pati.

Chriſtophorus Bartholinus
Thomæ Filius.

Ad eundem.

NOn hæc flamma nocet; Pater optime, flamma Minervam
Qvæ latet in cerebro, tollere nulla poteſt.
Nil Muſis damni, nil nobis. Salva putamus
Omnia, nam voluit te ſupereſſe Deus.

Thomas Bartholinus
Junior.

